

Sic & media primo probantur, tum quae maxime idonea visa fuerint, eliguntur, & demum vsui applicantur.

## §. XLIV.

Et hi quidem actus omnes *eliciti* vocari solent, eo quod ab ipsa voluntate producantur, & ab eadem recipiuntur. Distincti ab illis sunt *imperati*, qui ab aliis hominis facultatibus a voluntate motis, proueniunt.

## §. XLV.

Magis ad nostrum institutum pertinet alia actuum voluntatis distinctio, vtut minus vsitata. Etenim sicut voluntas nostra semper bonum appetit, ita si quid illa a facultate quadam cognoscente offeratur, quod vt malum percipit, non potest non illud auersari. Quos quidem actus voluntatis nonnulli *affectus mentales* vocant, quorum duo praecipui sunt *appetitus & auersatio*, siue *amor & odium*, sed qui in varios iterum ramos abeunt, distinctius deinceps enumerandos.

## §. XLVI.

Namque & affectus sensuales vocantur motus voluntatis, sed quibus iam cum corpore aliquid commercii intercedit. Vnde si ab eo discesseris, quod de his suo loco dicetur, de illis etiam certa ratione intelligi potest.

SECT.